

reum; dicitur enim Gen. i. secundo die factum esse firmamentum, & quarto luminaria & stellas in eo collocata: per firmamentum vero celum fydereum intelligitur, ut docent Beda & Strabus, relati a D. Thoma infra quest. 63. artic. 1. ad 1. Ergo Angeli non in celo fydere, sed Empyreum creati sunt. Unde idem Strabus super hac verba Genes: In principio creavit Deus calum & terram, ait Calum non visibile firmamentum hic appellatur, sed Empyreum, id est igneam, vel intellectualem, quod non ab ardore, sed a splendore, dicitur, quod statim factum, Angelis est repletum.

Præterea, ut ibidem S. Doctor discurrebat, Cum Angeli sint pars nobilissima universi, & creati sint ut toti nature corporee præfiderent, conveniens fuit ut in loco omnium nobilissimo & supremo crearentur; locus enim semper dignitati locati respondet, ut patet in ipsis corporibus, quæ quanto nobiliora sunt, tanto superiori loco collocantur: Sed non est locus in toto universo nobilior Empyreum, nec illo superior: Ergo conveniens fuit ut in illo Angeli crearentur. Idque significare videtur Scriptura Ezech. 58. ubi sub figura Principis Tyræ loquens de primo Angelo ante suum lapsum, ait: In deliciis paradisi Dei fuisisti: calum enim quod est paradisi, non est calum fydereum, sed Empyreum: Ergo in illo & non in illo Angelo creati sunt. Unde Hieronymus, loquens de celo ex quo cecidit Lucifer, ait: Unde ille cecidit per superbiam, pessimus nos ascendere per humilitatem.

34 Ad primum ergo Suarez fundamentum, respondeo ex D. Thom. infra q. 102. art. 4. negando paritatem. Ratio autem discriminis est, quia paradisi terrestris fuit locus congruus habitationi humanae, quantum ad incorruptionem primi status; incorruptio autem illa non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono: Utergo hoc gratia Dei imputaretur, non humana natura, Deus hominem extra paradisi fecit, & postea ipsum in paradiso posuit: Calum autem Empyreum (addit ibidem S. Doctor in resp. ad 1.) est locus congruus Angelis quantum ad eorum naturam, ideo ibi creati.

35 Ad secundum respondeo locum corporeum (quale est Empyreum) peccato spirituali (quale fuit peccatum naturæ Angelorum) non conquinari: unde nullum est inconveniens, quod Angeli in Empyreum provocaverint, & ex illo ad tartara detracti fuerint. Immo hoc maxime ad humilitatem & instructionem nostram conducere videtur: Ex hoc enim distans (inquit Bernardus) quod nullam esse securitatem, neque in celo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In celo enim cecidit Angelus sub presentia Divinitatis: Adam in paradiso de loco voluptatis: Judas in mundo de sella Salvatoris.

36 Ad tertium respondet D. Thom. infra q. 61. art. 4. ad 3. quod illa verba Luciferi: Ascendam in calum; non sunt intelligenda de calo aliquo corporeo, sed de calo SS. Trinitatis; in quod Angelus peccans ascendere voluit, exoptans aliquo modo ipsi Deo acquirari, unde addebat: Et similitudo Altissimi. Adde locum illum nimis probare: nam cum ibidem immediate subdatur: Ascendam, super altitudinem nubium, si locus ille ad litteram esset intelligendus probaret Luciferum non solum extra Empyreum, sed etiam infra nubes fuisse creatum; quod nullas hæctenus somniavit.

Pro complemento hujus disputationis postulabis, cur Angeli a Deo creati fuerint?

37 Respondeo illos ob quatuor præcipue fines a Deo fuisse conditos. Primo propter divinarum laudum concentum: unde Plato eos Syrenes appellat; Bernardus, Cali cantores; Gregorius, divinarum laudum præcones; Zeor, Volucres cali, qui perperuo cantu divinas laudes celebrant. Hinc etiam aliqui apud Lorinum in Psalm. 104. sic Angelum definiunt: Angelus est animal laudans Deum; sive, ut ait Athanasius, Ipsius indefensus; Et laus irrequiescens magnificentia Dei.

Notat vero S. Thom. in 1. dist. 1. q. 1. art. 3. ex Chrysolemo, quod licet omnes Angeli continuo laudent Deum, diversimode tamen illius laudes celebrant: quidam enim illum laudant ut majestatem, quidam ut benedictatem, alii ut sapientiam, alii ut fortitudinem, quidam secundum attributa absoluta, alii secundum relativa; ut nulla sit in Deo perfectio, quæ aliquo speciali encomio a superioribus illis Spiritibus non celebratur.

38 Secundo Angeli a Deo creati sunt, ut mundum corporeum regerent, & creaturæ corporali præficerent: Divina enim Providentia solet regere inferiora per superiora, & corpora per spiritualia, ut ait D. Thom. infra q. 113. art. 1. Unde Angeli vocantur mundi rectores, & Divina Providentia administrant; orbemque portare dicuntur, juxta illud Job cap. 9. Deus cuius vis nemo resistit, sub quo curvantur qui portant orbem. Hanc veritatem Seneca licet gentilis agnovit: sic enim fatat apud Lactantium Lib. 1. inlit. cap. 5. Deus cum prima fundamenta molis pulcherrime jaceret, & hoc ardiret, quo neque majus quidquam novit natura, nec melius; ut omnia sub dicitibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui Deos (id est Angelos) genuit.

Tertio Angeli creati sunt, ut hominibus episcuperent, & eos regant ac custodiant: ut constat ex illo Apostoli ad Hebr. 1. Omnes sunt ministratorem spiritus in ministerium missi, præper eos qui hereditatem capturi salutis: & magis infra dist. 14. art. 3. patebit, cum agemus de custodia Angelorum.

Denique Angeli ad hoc specialiter a Deo conditi sunt, ut æternam beatitudinem consequerentur; utpote qui sunt, ut ait Augustinus 11. de civit. cap. 9. Celestis Hierusalem magna pars, & eo beatorum, quod nunquam peregrinata.

DISPUTATIO II.

De substantia Angelorum secundum se.

Ad questionem 50. prima pars.

Res, inquit Athanasius, invenimus substantias ab hominibus incomprehensibiles, quas nemo unquam vidit, neque videre supra terram poterit; videlicet Dei Angelorum, & animarum. A prima ergo Tractatu primo, ubi fufe de natura divina, ejusque attributis disseruimus. De anima rationali disputant Philosophi in libris de anima. Unde hic superest agendum cum S. Doctore de Angelorum substantia secundum se; acturi postea de illa in ordine ad corpora, & loca.

ARTICULUS I.

Utrum Angeli sint omnino incorporei & immateriales?

Angelos habere corpore aera, seu subtilia, & tenuia, aëris instar, ideoque aëreos potestates in Scriptura appellari, docere olim plures ex SS. Patribus, ut Iustinus, Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Basilus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Rupertus, Bernardus, & alii, quos refert Petavius tomo 3. Theologicorum dogmatum cap. 2. Idem quoque tradit Petrus Chrysologus Sermon. 50. de demonibus loquens: Omnia tamen (ait) & aëreæ natura carnes nescit, refutes ossa, vel aëra spirans, orbem totum temporis transactis in momento. Ubi ex aere corpus iis affigit. Cassianus item Collat. 17. cap. 13. tam Angelos quam humanas animas habere corpora dehinc, his verbis: Licet pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt Angeli, Archangeli, ceteraque virtutes; ipsa quoque animas nostras, vel certe nec ipsa subtilis: tamen incorporea nullatenus estimanda sunt: habent enim secundum se corpus, quo subsistant; licet multo tenuius quam nos. Nam sunt corpora secundum Apostoli sententiam I. Cor. 15. ita dicentis: Et corpora celestia, & corpora terrestria.

His annuenerunt solent Recentiores duo, Eugubinus scilicet lib. 8. de perenni philosophia, & Cajetanus, qui licet hic in commentario primi articuli, cum D. Thoma, & aliis Scholasticis doceat, Angelos esse omnis profus corporis expertes; tamen in annotatioribus ad secundum caput Epistolæ ad Ephesios 3. i., confonare veræ Philosophiæ, quod demones sint Spiritus aërei: nomine autem aëris dicit se non intelligere elementum aëris, sed subtile corpus nostris sensibus ignotum: etenim non solum ventos & aërem tripartitum, sui spiritus appellamus, sed etiam tenuissimas in humano corpore sanguinis partes, seu radios quosdam sanguinis purissimi, qui in corde & cerebro ordinantur, & ad motum ac sensus officia, per nerves in reliquis corporis partes diffunduntur.

§. I.

Hæc sententia ut temeraria rejicitur.

Dico tamen, hæc sententiam, post Lateranensem Concilium, non posse sine temeritate defendi.

Probat: nam Lateranense in cap. firmiter de summa Trinitate sic ait: Firmiter credimus quod unus est solus verus Deus, æternus & qui ex nihilo condidit nostramque naturam spiritualem & corporealem; Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam, quasi communem; ex corpore & spiritu constitutam. Ubi primo Concilium asserit, Angelos esse spiritus, quemadmodum anima hominis est spiritus: Sed anima hominis nullo profus corpore constat, sed est omnino immaterialis & spiritualis, ut in alio Concilio Lateranensi sub Leone X. definitum est: Ergo etiam Angeli omnino spirituales & incorporei sunt.

Deinde Concilium ait hominem esse substantiam mediam, & communem inter Angelicam & corporealem creaturam: quia homo constat spiritu & corpore: Ergo Angeli, qui non sunt medi inter spirituales & corporealem substantiam, non constant corpore & spiritu.

Præ.

§. II.

Angelos omnis profus corporis esse expertes, ratione suaderetur.

Præterea Concilium opponit & distinguit Angelos ab omni substantia corporea: Sed inter corporales substantias sunt aliqua corpora tenuia & subtilia, aërea, aut calidissima: Ergo sentit Angelos esse omnino immateriales & incorporeos. Unde in Scriptura simpliciter spiritus appellantur, quod nomen non possit illis attribui, si aliqua haberent corpora naturaliter sibi unita: homines enim, licet anima spiritualiter constant, non possunt dici simpliciter spiritus, quia constant etiam corpore. Immo quando homines sublimis & incorruptibilia corpora post resurrectionem habebant, non erant, neque dicebantur simpliciter spiritus: nam Christus Luca 24. post resurrectionem suam negavit se esse spiritum, quia corpus habebat: Palpate (inquit) & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut vos videtis habere.

3 Favent etiam SS. Patres: Dionysius enim cap. 1. de celestibus Hierarchia, Angelos vocat spiritus simplices, nullis figuris præditos. Et cap. 3. docet representari quidem symbolis corporeis, at tamen non esse illis symbolis representationibus, aut uli corporeæ speciei affines, sed esse puros spiritus. Id ipsum docet Nazianzenus orat. 34. ubi naturam angelicam vocat vnam & simplicem, id est, intelligibilem & incorpoream. Gregorius Nyssenus libro 12. contra Eunomium, & cap. 17. in 2. id est, incorpoream creaturam, similiter Angelos nominat. Theodoretus q. 20. in Genesim, ubi ait quod Angeli & Archangeli, sunt incorporea sanctissime nature. Damascenus lib. 2. fidei cap. 3. ubi Angelos dehinc substantiam intelligentem materiam atque corporis expertem. Denique Angeli a Patribus Græcis passim & quoties, id est, incorporei, vel vici, hoc est mentes, seu intelligentiæ, nuncupantur: cujus appellationis causam exponit Maximus Martyr in scholis ad cap. 1. lib. de celestibus Hierarchia: vici, inquit, id est mentes; appellati etiam Græcorum Philosophi intelligentes, sive Angelicæ virtutes: quoniam ex toto mens est quilibet ipsorum, ac totam substantiam, in formam suam veluti substantiam, habet mentem viventem.

Similia docent Patres Latini. Nam Leo Papa ad Turbicum scribens, fidei veram, ait, quæ est Catholica, omnium creaturatum, sive spirituum, sive corporearum, bonam confiteri substantiam. Gregorius deinde Magnus 4. Dialogo cap. 29. interroganti Petro de Apostatis spiritibus, qui e calo dejecti sunt, corporeos an incorporeos illos esse suspicaverit, ita respondet: Quis sapiens esse spiritus corporeos dixerit? Et 4. Moral. cap. 9. Angelos (inquit) sicut modo spiritus: homo vero & spiritus est, & caro. Augustinus etiam lib. 1. Retract. cap. 11. & 13. & lib. 2. cap. 14. Retractat. quod alibi scriperat, Angelos esse animas, atque dicendos non animas, sed spiritus. Denum Ambrosius in cap. 1. Epist. ad Hebræos, hæc scribit: Quare hujus nature (scilicet Angelice) nomen? Spiritus est: quare officii? Angelus est. Ex eo quod est, spiritus est: ex eo quod agit, Angelus est.

4 Non est pretermittendum, plures ex SS. Patribus qui Angelos appellant corporeos, aliter hoc nomen usurpasse, quam ferè communis usus. Quidam enim corporeum appellant quiddam certo loco definitum, & non est ubique, sed potest moveri. Sic Angelos esse corporeos Rupertus ac Bernardus ea ratione probant, quia & locales sunt, & loco moventur; & Cassianus Collat. 7. cap. 13. solum Deum incorporeum esse dicit, quia est ubique, & omnia penetrat. Alii corporeum id appellantur, quod est spirituale proprie sit, non tamen est omnino simplex, sed aliquibus accidentibus, & qualitatibus informatum & allicitur. Et in hoc etiam sensu Angelorum substantia dici potest corporea, cum sit imbuta qualitatibus adjunctis, puta gratia infusa, speciebus impressis, actibus suis; & ita ex substantia Angeli, & ornamentis, seu qualitatibus ei adjunctis, aliquod compositum accidentale resultat, ut ex dicendis infra patebit. Unde Augustinus Epist. 28. Si enim salum incorpoream placet appellare naturam, quæ summe incommutabilis, & ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est.

Denum nonnulli ex SS. Patribus Angelos dicunt esse corporeos, comparative ad Deum, ut Damascenus libro 2. fidei, & Gregorius Magnus 4. Moral. cap. 3. ubi Angelos spiritus comparative quidem nobis corporeum spiritus esse dicit, sed comparative homini & circumscripti spiritus, esse corpus. Cujus dicti egregiam rationem assignat Divus Thomas hic artic. 1. ad 1. verba Damasceni exponens: Substantia incorporea (inquit) medium sunt inter Deum & creaturam corpoream: medium autem, comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum; scilicet spiritum, comparatum calido, videtur frigidum; & hæc ratione dicitur quod Angeli, Deo comparati, sunt materiales & corporei.

Thom. Genes, Tom. II.

Angelos esse omnino immateriales & incorporeos, variis rationibus demonstrat D. Thomas questione unica de spirit. creaturis art. 5. secundo contra Genes cap. 90. 91. & hic art. 1. & 2. quarum hæc elegantissima est. Pulchritudo & perfectio universi requirit, ut in eo sint aliquæ substantiæ pure intellectuales, quæ Angeli appellantur: Sed creatura pure intellectualis debet esse omnino immaterialis & incorporea: Ergo Angeli omnis profus materie & corporis expertes sunt. Major patet ex dictis disputatione præcedenti, ubi cum eodem S. Doctore ostendimus, perfectionem & ordinem universi exigere, ut in eo sint aliquæ creature, quæ perfecte asimilantur Deo in gradu intellectuali. Unde idem Angelicus Præceptor 2. contra Genes cap. 93. Perfectio universi maxime consistit in substantiis separatis.

Minor autem probatur primo, quia ut in Tractatu de attributis disput. 2. art. 2. ostendimus, immaterialitas est radix intellectualitatis, & corpus impediturum scientiam, juxta illud: Corpus quod corrumpitur, aggravat sententiam, terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem; unde Tertullianus libro de anima cap. 20. Opimitas sapientiam impedit, exitus expedit: Ergo substantia pure intellectualis, debet esse omnino immaterialis & incorporea.

Secundo eadem Minor suadetur ratione D. Thomæ hic art. 1. & 2. Substantiam rei oportet esse proportionatam suæ operationi, quia operatio est actus & bonum substantiæ operantis: Sed intelligere, quod est proprius actus intellectualis substantiæ, est operatio penitus immaterialis, & quæ non potest esse actus corporis, sed alienius virtutis corporeæ: Ergo substantia pure intellectualis est omnino immaterialis & incorporea. Major patet, Minor vero probat D. Thomas. Tum ex eo quod omne corpus determinatur ad hic & nunc (id est respicit tantum singularia & temporali subjacta): cognitio vero intellectiva attingit veritates universales & æternas, seu ab omni tempore & loco abstractas. Tum etiam, quia in tantum aliquid intelligitur, in quantum a materia abstractum; nam forma in materia sunt individuales forme, quæ intellectus non apprehendit secundum quod hujusmodi: Ergo intelligere est operatio pure immaterialis, & quæ non potest esse actus corporis.

Hanc rationem latius expendit, & magis illustrat questione citata de spiritualibus creaturis, art. 1. ubi sic ratiocinatur: Omnes spirituales substantiæ intellectuales sunt... Tale igitur potentiam oportet in substantiis spiritualibus requirere, quæ sit proportionata ad suspensionem forme intelligibilis: hujusmodi autem non est potentia materia prima; nam materia prima recipit formam contrahendo ipsam ad esse individuale: forma vero intelligibilis est in intellectu ad esse hujusmodi contractionem: sic enim intelligit intellectus unumquodque intelligibile, secundum quod forma ejus est in eo; intelligit autem intellectus intelligibile, præcipue secundum naturam communem & universalem, & sic forma intelligibilis in intellectu est secundum rationem sui communis. Non est ergo substantia intellectualis receptiva forme, ex ratione materie primæ, sed magis per oppositam quamlibet rationem: unde manifestum fit, quod in substantiis intellectualibus illa prima materia, quæ de se omni specie caret, ejus pars esse non potest.

Ex hoc intelliges quid velit idem S. Doctor hic art. 2. ad 2. dum docet materiam recipere formam, ut secundum illam constitutur in esse, intellectus vero recipere formam secundum rationem formæ. Per hoc enim declarare intendit diversum modum quo materia & intellectus proprias formas recipiunt: materia siquidem recipit formam in esse naturali, coactando, limitando, & dividendo illam; intellectus vero recipit formam in esse representativo, secundum totam ejus latitudinem & universalitatem, & ut representat naturas abstractas a conditionibus materialibus & individualibus, cum quibus a parte rei reperitur: hoc autem est recipere formam secundum rationem formæ, ut explicare solent nostri Thomistæ in libris de anima.

Dices: Anima rationalis est intellectiva, & operatione non intellectualem elicit; & tamen est forma corporis, & ab illo dependet in suis operationibus: Ergo licet substantia Angeli intellectualis sit, potest naturaliter esse unita alicui corpori, & ab illo in suis operationibus dependere.

Sed contra primo: Corpus humanum ideo operationi anime rationalis deservit, quia mediante cognitione sensitiva ministrat ei species objectorum, quæ necessitate sublata, inutilis esset unio anima cum corpore; Sed corpus Angelicum ad hoc manus ineptum esset, cum non haberet organum sensus, nec facultatem sentiendi; esset enim immortale, incorruptibile, inalterabile, & incapax tu-  
tus,

Etus, subindeque aliorum sensuum: Ergo inutile esset ad operationes intellectus Angelici.

Præterea, ut dicitur D. Thomas 2. contra Gent. c. 91. ratione 7. & hic quest. sequenti artic. 1. Anima rationali competit uniri corpori, quia est imperfecta, & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporeos a sensibilibus rebus: in quocumque autem genere invenitur aliquid imperfectum, oportet præexistere aliquid perfectum; tum quia imperfectiora sunt propter perfectiora; tum etiam quia natura non est magis sollicita de imperfecto, quam de perfecto, sed potius e contra, ut ait Cajetanus in commentario illius articuli: Ergo oportet quod ante animas humanas, quæ intelligunt accipiendo species a phantasmatibus, sint aliqua intellectus substantia, non accipientes cognitionem a sensibilibus, & per consequens omnino a corporibus separate.

9. Has rationes D. Thomas, tamquam minus efficaces, præmittit, & sequitur hic disp. 178. c. 4. & Angelos esse incorporeos probat, tum ex magna velocitate qua moventur; nam Job 1. dixit Satan: Circuvit terram, & perambulavit eam: tum ex eo quod intrant in humana corpora, & ea penetrant sine divisione, quod non possent facere, si essent corporei.

Verum hic Auctor aurum & margaritas abiecit, ut vitrum & fetuças colligat: ita enim rationes nullius momenti sunt, quia corpora, etiam maxima, ingenti velocitate moveri possunt, ut patet in corporibus celestibus: Nam, ut Astrologi notant, stelle quæ sunt in circulo majori firmamenti, ita celeritate voluntur, ut in minuto hora pertranseant plusquam septingenta milia leucarum, quod est plusquam centies circuire totam terram in minuto hora. Quod vero Angeli intrent in corpora, dicti potest id procedere a subtilitate suorum corporum; sicut aer intrat per poros: vel quia ita subtiliter possunt dividere corpus, ut ad illud intrent, licet non sentiantur. Unde rationes illæ non probant Angelos carere omni corpore, sed solum crassiori & densiori, ideoque nulle sunt.

§. III.

Brevis responsio ad ea quæ pro Angelorum corporeitate adducta sunt.

10. Contra præcedentem conclusionem in primis opponi solet Concilium Nicænum secundum, actione 5. cœlæna 5. ubi approbate videtur sententiam Joannis Episcopi Thebalionensis, asserentis Angelos ideo posse depingi, quod sint corporei, & quia apparuerunt hominibus in forma corporea.

11. Respondeo Concilium approbasse tantum conclusionem, scilicet Angelos posse depingi, & illam secundum ipsius rationem, quia hominibus apparuerunt in specie corporea, non vero primam illam, quod sint corporei. Patet id, tum quia Concilium hoc tantum approbavit, quod ex Epistola Joannis Thebalionensis retulerat Paralius Patriarcha, qui Concilio præerat: Tarasius vero ea tantum quæ diximus proposuit Concilio approbanda; tum etiam quia alias Concilium duo contradictoria protulisset; cum in illo actione 4. referatur & approbetur sententia Athanasii, asserentis Angelos esse incorporeos; & sancti Angeli, dæmones, id est incorporei, appellentur. Immo ibidem hæc proclio fidei continetur: Veneramus imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, qui tamquam homines figura humana justè apparuerunt.

12. Objiciunt secundo: Sæpe Angeli in Scriptura visi sunt oculis corporeis hominum, & in figura humana Patribus & Prophetis apparuerunt; ab Abraham convivio exceptus fuit; cum Angelo per totam noctem luctatus est Jacob; Tobiam in itinere comitatus est Raphael; a duobus Angelis Lot, & Sodoma eductus est; Angelos per scalas gradus ascendentes & descendentes vidit Jacob, similia narravit Genes. 18. 19. 28. 32. & in libro Jobia: Atqui hæc non videntur potuisse convenire Angelis, seu ab illis prælati, nisi essent corporei: Ergo non sunt omnino spirituales & incorporei.

13. Respondeo negando Minorem: licet enim Angeli sint omnino spirituales, nec illa habeant corpora naturaliter sibi unita, possunt tamen ex ære, vel ex alia materia tenui & subtili, formare corpora, & illa movere localiter, ac in eis se præbere visibiles & cum hominibus loqui & conversari; quævis in corporibus illis assumptis opera vite corporeæ exercere nequeant, ut dispositione sequenti patebit.

14. Tertio obijciunt: Aliqui Angeli dicuntur in Scriptura genuisse homines: At hoc non possent, nisi essent corporei: Ergo corporei sunt. Minor videtur certa, Major vero probatur ex illo Gen. 6. Videntes filii Dei filios hominum quod essent pulcra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam

ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, etc. Ubi versio Septuaginta habet: Ingressi sunt Angeli Dei ad filias hominum. Unde Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Philo Judæus, Lactantius, & alii quos refert Pererius disp. 1. in versum 6. cap. 6. Genesim, existimantur primum peccatum Angelorum fuisse impuram illam commixtionem cum filiabus hominum, & Angelos feminarum pulcritudine illectos, eas adamasse, & ex concubitu cum ipsis, gigantes procreasse. Hinc Tertullianus in libro de velandis virginibus cap. 7. ad Angelos retort illud quod dicit Apostolus 11. ad Corinth. 11. mulieres in Ecclesia debere velari, propter Angelos Dei: ne scilicet eorum pulcritudo illecebra sit Angelis ad eas libidine amandas. Unde addit: Debet ergo admirari facies tam periculosa, quæ usque ad celum scandala jaculata est. Eidem sententiæ favere videtur Ambrosius lib. 1. de Virginibus, aliquantulum a fine, ubi alloquitur Virgines, sic ait: Nec mirum se pro vobis Angeli militent, quæ Angelorum moribus militari: meretur eorum præsitium castitas virginum, quorum vitam meretur; & quid pluribus exegit ludem castitatis? Castitas enim Angelos fecit: qui enim eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.

Respondeo primo negando Majorem: Ad cujus probationem dico, in vulgata editione, quæ est conformis Hebraico, non legi Angeli Dei, sed filii Dei: nomine autem filiorum Dei, convenientissime intelliguntur filii Seth, qui soli erant ceteros veri Dei, & acceperunt uxores ex semine Cain, quod dicuntur filii hominum, quia initate mores parentum suorum, rebus terrenis erant addicti, sicut eorum progenitores. Vel nomine filiorum Dei, ibi intelliguntur homines stirpe proci: ita enim Scriptura altissimos montes & arbores vocat montes Dei, & cedros Dei. Vel denique ibique intelliguntur filii Magnatum, juxta hebræam Heleim, quod nobilibus & judicibus tribuitur. Exodi 7. versu 1. & Psalm. 81. versu 1. Ex his filiis Magnatum nati sunt viri potentes, famosi a seculo, ut habetur in textu citato. Ita Chrysolomus, Augustinus, Cyrillus & alii SS. Patres, quos sequitur D. Thomas questione sequenti art. 3. ad 6.

Ratio etiam huic interpretationi favet: nam ibidem versu 5. dicitur diluivium esse a Deo immissum, propter desolanda hominum peccata; & asseritur præcipuum inter hæc peccata fuisse nefariam illam commixtionem filiorum Dei cum filiabus hominum: Ergo quando ibidem dicitur: ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, id de hominibus, non vero de Angelis, intelligendum est.

Addo id non posse verificari (quod scilicet hoc peccato Angeli lapsi fuerint) nec de primo ipsorum lapsu, quia multis sæculis ante illam commixtionem filiorum Dei cum filiabus hominum, quæ contigit paulo ante diluivium, Angeli jam lapsi erant; eorum enim princeps, non multo post creationem mundi, primus parentes sub figura serpentis deiecit, ut dicitur Sapient. 2. nec de Angelis jam lapsis: quia Angeli post lapsum in peccatum, non vocantur amplius filii Dei, sed immundi spiritus.

Siquis autem sequi velit versionem Septuaginta, in qua legitur: Videntes Angeli Dei filios hominum &c. dicere poterit, viros sanctos in Scriptura plerumque Angelos Dei appellari, ut annotavit Ambrosius in libro de Noe cap. 4. & docet Augustinus 15. de civit. cap. 23. probatque ex Matth. 11. ubi Joannes, juxta Prophetiam Malachiæ, Angelus appellatur. Ex Deuter. 32. ubi vulgata editio habet: Constituit terminos populo suo, juxta numerum filiorum Israel. Septuaginta legunt: juxta numerum Angelorum Dei. Quia ergo filii Seth erant justi, & veri Dei cultores (quamvis postea habitando cum filiabus Cain, prævaricatores facti fuerint) filii Dei, vel Angeli Dei, appellantur. Unde ad locum Apostoli, a Tertulliano supra allegatum, dicendum est, quod quando Apostolus præcipit mulieres velari in Ecclesia, propter Angelos Dei, per Angelos (ut ait D. Thomas) intelligit Sacerdotes, qui in Scriptura Angeli Dei appellantur, quia ejus nuntii sui ministri sunt, ut patet ex illo Malachiæ 2. Labii sacerdotis custodiunt scientiam, quoniam Angelus Domini exercituum est. Quando vero Ambrosius supra relat us ait: Qui servat castitatem, Angelus est; qui perdidit, diabolus: non loquitur de Angelo & diabolo secundum naturam, sed secundum mores; & solum intendit, illum qui castitatem servat, Angelo simile esse. Unde ibidem subdit: Ubi integritas, ubi castitas, ubi claritas Angelorum est, illi lilia virginum. Nec incongruum quisquam putet, quod Angelis lilia comparantur; cum liliam se Christus ipse memoravit, dicens: Ego flos campi, & liliam convallium. Ergo si lilia celestis paradisi Angeli sunt, Ecclesiastici & terreni horum virgines lilia erunt: E contra impudici assimilantur Diabolo, qui immundus spiritus in Scriptura appellatur, & in locis humentibus & aquosis (quibus molles & cœnosc. voluptates significantur) habitare dicitur, ut Glossa annotavit in hæc verba Job cap. 40. Sub umbra dormit Behemoth (Dæmonis figura) in secreto calami, & in locis humentibus.

Quarto obijciunt: Res corporeæ non possunt agere in spiritibus: Sed aliquæ res corporeæ agunt in Angelis: Ergo illi non

§. IV.

Corollaria ex dictis.

non sunt puri spiritus, sed habent aliqua corpora naturaliter sibi unita. Major videtur certa, Minor vero probatur variis exemplis in Scriptura contentis. In primis enim Angeli mali in inferno torquentur, & alligantur igne corporeo, ut constat ex illo Matth. 25. Dissedite a me maledicti in ignem æternum, qui parvus est Diabolo, & Angelis ejus. Item aliquibus rebus corporeis fugantur Dæmones: nam Tobie 6. dixit Raphael ad Tobiam: si particulam cordis ejus (scilicet piscis quem Tobias ceperat) imponas super carbonem, fumus ejus exierit omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere. Et 1. Reg. 16. ad melodiam citharæ David, spiritus malus recedebat a Saul: Ergo aliquæ res corporeæ agunt in Angelis.

19. Respondeo, quod licet res corporeæ non possint agere in spiritibus, virtute propria, possunt tamen a Deo assumi ut instrumenta, & elevari ad contigendum contactu virtutis spiritali subjectum; ut patet in aqua Baptismi, quæ elevatur a Deo ad producendam gratiam in anima pueri. Cur ergo similiter spiritus, ab igne corporeo, ut divinæ virtutis & operationis instrumentum, torqueri, detineri, & alligari non poterunt? Cur (inquit Augustinus 21. de Civit. cap. 10.) non dicamus, quomodo miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalibus ignis affici, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, & tunc poterunt includi corporibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis inflexibilibus alligari & abstrahi ergo spiritus Dæmonum, immo spiritus Dæmones licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes ipsi, quibus adherere, eorum justitiam insperant, & animalia sunt, quæ consistunt spiritus & corpore, sed ut dicit, miris & ineffabilibus modis adstruendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes igitur vitam.

Addo quod, si hoc argumentum valeret, probaret etiam quod anima humana non esset substantia spiritalis: quia quando separata est, igne inferni aut purgatorii cruciatur & detinetur. Unde egregie Tertullianus de anima divitis Epulonis loquens ait lib. de anima c. 7. Dales apud inferos anima custodiam & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digitis animæ flectitur, implorat auxilium vocis.

20. Ad secundam instantiam similiter dicendum est, dæmones fugari rebus corporeis, vel physice, ut ab instrumentis divinæ virtutis, vel moraliter, quatenus ille sunt intincta a Deo ad aliquid fierum significandum. Unde incensio illa jecoris piscis apud Tobiam, non fugavit Dæmonem vi sua corporea, sed virtute divina, & propter mysterium quod significabat: per illum enim figurabatur fervor orationis Tobie, & sacræ conjugis ejus, vel mors Christi Domini, in cruce caritate consumpti; cujus virtute omnia fugantur, aut ligantur Dæmonia, ut docet Augustinus & alii Patres apud Serarum q. 3. in cap. 8. Tobie. Unde ibid. dicitur: quod quando Tobias protulit partem jecoris, posuitque eam super carbonem vivos, Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonem, & reliquit illud in deserto superioris Egypti.

21. Ad illud quod additur de musica David, respondeatur quod spiritus ille malus, canente David, & pulsante citharam, recedebat: virtute divina, vel propter hymnos illos & psalmos quos canebat David, qui erant verba sacræ, ad quorum deprecationem virtus divina fugabat Dæmones. Vel dicendum quod musica illa concuberebatur indirecte ad hunc effectum, mitigando tristitiam Regis, & temperando humorem melancholicum, quo mediante Dæmon illum vexabat; aut excitando animam ejus ad divinorum & celestium contemplationem. Id enim virtute musicæ fieri posse, & propter hoc ab Ecclesia institutum esse, quod in omni cultu divino aliquod consonantiam musicæ adhibetur, ut videlicet animus hominis exoneretur ad Deum, docet S. Thom. super Psalm. 32. explicans illum versum: Confitemini Domino in cithara.

22. Addo, quod lyra illa Davidis erat figura Christi in cruce pendens: sicut enim in cithara chordæ, sic membra Christi super lignum crucis tendebantur, ut annotavit Augustinus; qui dicitur Christum cruci affixum, Misericordis Ibraim appellat; & docet per memoriam passionis ejus, omnia fugari Dæmonia: unde lyra illa Davidica, non solum ratione harmoniæ, sed etiam ratione figure, sui mysterii, virtutem habebat expellendi spiritum malum e corpore Saul.

23. Objicit ultimo Cajetanus, ubi supra: Omnes gradus virtutum corporearum esse concedendos, ut opote necessarios ad perfectionem & pulcritudinem universi. Ergo si cut dantur vegetantia sine sensu, & sententia sine motu progressivo, sic dari debent intelligentie sine sensu, cum solo motu progressivo, quales erunt Angeli præditi corporibus æreis: Ergo tales concedendi sunt.

24. Sed negatur Consequentia: Licet enim ad perfectionem universi requiratur ut in eo sint omnes gradus essendi possibiles, qui sunt tantum tres, scilicet, esse, vivere, & intelligere, ut dispositione præcedenti ostendimus; non tamen ut in eo sint omnes modi habendi tales gradus, ut ibidem declaravimus: intelligere autem sine sensu, cum solo motu progressivo, non constituit specialem gradum, sed tantum est quidam specialis modus habendi gradum intellectualem.

EX dictis colliges contra Alensem, D. Bonaventuram, 25 & Richardum, Angelos non componi ex materia spiritali, quæ quantitati subiecta non sit. Ratio est, quia materia, quæcumque illa sit recipiendo formam, illam contrahit & limitat ad esse individuale: substantia autem pure intellectualis (ut supra dicebamus) nata est recipere formas intelligibiles, cum quadam amplitudine & universalitate, & ut abstractas a conditionibus individuans; subindeque materiam cujuscumque rationis excludit, etiam spiritualem.

Addo quod implicat dari materiam pure spiritualement. Nam ut dicitur S. Thomas opusc. 15. cap. 7. repugnat dari materiam, quæ ex se non sit pura potentia in ratione substantiæ, per exclusionem item omnis actus & perfectionis formalis: Sed materia pure spiritalis nequit esse pura potentia in ratione substantiæ: Ergo nec habere veram rationem materię. Major patet, Minor probatur. Materia spiritalis, si daretur, esset enim ordinis superioris ad illas: Ergo cum forma corporea sit actus, & non pura potentia, materia spiritalis illam excedens esset etiam actus; immo magis haberet de actu, quam quolibet forma corporea: Atqui (subsumo) entitas actualior quolibet forma corporea, nequit habere rationem pure potentię, ut patet: Ergo materia pure spiritalis, nequit esse pura potentia, in ratione substantiæ.

Objicies primo: Augustinus 12. consell. dicit quod Deus 26 fecit materiam communem visibilibus & invisibilibus: Invisibilia autem sunt substantiæ spirituales: Ergo substantiæ spirituales habent materiam: Non corpoream: Ergo spiritualement.

Respondeo ex D. Thomæ quæst. unica de spiritalibus creaturis, artic. 1. ad 4. D. Augustinum nomine materia visibilibus & invisibilibus, non intelligere materiam primam; sed informantem, sive potentialitatem quandam, proportionaliter communem materiæ corporeæ & substantiæ spiritali: quatenus scilicet materia prima caret omni specie seu actu, Angelus vero prius est creatus quam converteretur ad Verbum, a quo illuminatur, atque adeo in potentia intelligibili fuit productus.

Objicies secundo: Ubicumque reperitur aliqua forma, 27 ibi debet reperiri materia illi proportionata, juxta commune illud axioma, actus est potentia sans ejusdem generis: Sed in substantiis spiritalibus reperitur aliqua forma spiritalis & incorporea: Ergo etiam intra illud genus dari debet materia spiritalis.

Respondeo illud axioma solum verificari de actu receptibili, & dependente a materia, non autem de receptibili, & independente a materia; qualis est substantia Angeli.

Objicies tertio: Si substantia Angeli esset omnis compositionis substantialis expers, esset omnino simplex: Sed hoc non est dicendum: cum simplicitas sit attributum soli Deo conveniens: Ergo nec illud.

Sed negatur sequela Majoris: quia summa simplicitati 28 non solum repugnat componi, sed etiam componere: licet autem in essentia Angeli nulla sit realis compositio, ipsa tamen cum essentia Angelam componit; existentia enim in omnibus rebus creatis, tam spiritalibus, quam corporeis, realiter distinguitur ab essentia, & per consequens realem cum ea compositionem facit, ut docet D. Thomas 2. contra Gent. cap. 52. & 53. & hic art. 2. ad 3. ubi ait: Licet in Angelo non sit compositio forma & materia, est tamen in eo actus & potentia: quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus invenitur duplex compositio. Prima quidem forma & materia, ex quibus constituitur aliqua natura: natura autem sic composita, non est suum esse, sed esse est actus ejus.

Objicies ultimo: Compositio ex genere & differentia supponit compositionem ex materia & forma; cum genus sumatur a materia, & differentia a forma; ut variis in locis docet Aristoteles: Sed substantia Angeli, cum sit finita, & terminis essentię terminata, ex genere & differentia componitur: Ergo illa patitur constat ex materia & forma.

Respondeo Majorem veram esse in substantiis materialibus, non vero in spiritalibus. Nam ut ait D. Thomas hic art. 2. ad 1. In rebus materialibus aliud est quod determinat ad specialem gradum, scilicet forma; & aliud quod determinatur, scilicet materia: unde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans & determinatum, sed unusquisque eorum secundum seipsum tenet determinatum gradum in ensibus; & ideo genus & differentia in eis non accipiuntur secundum aliud & aliud, sed secundum unum & idem, quæ tamen differunt secundum considerationem nostram: in quantum enim intellectus noster considerat illam rem ut indeterminatam, accipitur in eis ratio generis, in quantum vero considerat ut determinatam,

accipitur ratio differentia. Licet ergo in substantiis materialibus genus desumatur a materia, tanquam a prima radice, & differentia a forma: in spiritualibus tamen non est aliud principium generis & differentie, quam ipsa essentia, ut habet rationem determinabilis & determinatiui, sive prout magis distat ab existentia, aut appropinquat ad ipsam, ut explicare solent nostri Thomae in Logica.

ARTICULUS II.

An multitudo Angelorum, numerum specierum materialium, & natura humana individuum excedat?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa.

30 Tria ut certa supponimus, & aliud veritatem in controversiam. In primis certum est maximam ac profus stupendam esse Angelorum multitudinem: Dei enim, summi Principis & potentissimi Imperatoris numerosam familiam, & copiosam exercitum esse docet; juxta illud Proverb. 14. in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis. Unde Daniel 7. dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies centena milia assistebant ei. Et Joann. in Apocalypsi ait: Et erat numerus eorum ut pupillæ pupillæ & cæcæ cæcæ, quibus verbis innumerabilis multitudo significatur, quam Latini interpretis ita expressit: Et erat numerus eorum millia millium: sic enim incertus numerus & propemodum infinitus exprimitur. Similiter Psalm. 67. Propheta ait: Cursus Dei decem millibus multiplex. Ubi Hebraica vox *Me* quam cum Chaldaeo Paraphrases, tum plerique Hebræorum, ita intelligunt, ut Angelos significet: Virgata versio multiplicem, scilicet Angelorum numerum, significare intellexit & expressit. Denique Job 25. dicitur: Nunquid est numerus militum ejus? Ubi militum nomine intelliguntur celestium virtutum exercitus, ut exponit D. Gregorius 17. Moral. cap. 9. subdens: Infectione humana rationis, supernorum spirituum numerus non est: quin quanta sit illa frequentia invisibilis exercitus nescit. Supernorum civium numerus infinitus & definitus exprimitur; ut qui Deo esse numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstrat. Idem docet Ambrosius 7. in Lucam ad cap. 15. dicens innumerabiles esse greges Angelorum, Archangelorum, Demoniatorum, &c. Item Cyrillus Hierosolymitanus catech. 15. ait: Ex loci magnitudine incolarum multitudo estimari solet. Est autem universa terra puncti instar in cæli medio. Quibus verbis significat, quod sicut vastitas cali Empyreï est pene incomprehensibilis, comparata ad terram, ita & Angelorum multitudo per comparationem ad res corporeas & materiales. Qua etiam comparatione utitur D. Thomas hic art. 3.

31 Hinc exclusi manet sententia aliorum existimantium eam esse rationem multitudinis hominum, ad Angelorum numerum, quæ est minus ad nonaginta novem: quoniam id fuisse parabola illa videtur hominis, qui centum oves habens, unam amisit, quam relicta nonaginta novem, quaesitum abijt, & inventam, humeris reportat Matth. 18. & Luca 15. nam ovis illa unica, humana esse natura vulgo creditur, Angeli vero reliquæ. Ita Hilarius in Math. cap. 18. ubi sic ait: Ovis una, homo intelligendus est; & sub homine uno universis sentiendum est. Sed in minus. Ad errorem, omne hominum genus observavit: Ergo nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum celestium opinanda est; quibus in celo est lætitia, & cura salutaris humanæ. Et Ambrosius lib. 7. ad e. 15. in Lucam: Dives igitur pastor, inquit, cuius omnes res centesima portio sumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Demoniatorum, Potestatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges; quos in montibus dereliquit: qui quantum sunt rationabiles, non immerito hominum redemptione latantur. Demum Greg. Nyssen. lib. 11. ad cap. 15. contra Eunomium: Ideo qui omnem creaturam rationalem passit, relicto in exaltis non errante; ac supernum gregem, ad errantem eorum, nostram videlicet naturam, pro amore hominum recedit. Est enim millefima, minimeque portio natura humana, si cum universo comparatur; quo solo, ut est in parabola rationalis centuria, per multitudinem aberravit. Ex dictis, inquam, exclusi & confutata manet hæc sententia: tum quia Scriptura locis adductis innumerabilem prope docet esse Angelorum multitudinem: tum etiam, quia comparatio illa quæ D. Cyrillus & S. Thom. utuntur, indicat multo majorem esse Angelorum copiam, quam ut eam proportionem ad homines habeat, quæ est nonaginta novem ad unum: longe enim excessu majore, terra superat a celo Empyreï, quam unitas a centenario. Nec testimoniis Patrum quo adduximus, huic favent sententia, nam is solum indicatur summus amor, quo Deus naturam humanam in mysterio Incarnationis prosecutus est, eo quod tale mysterium, non in bonum & gloriam Angelorum, sed in salutem & redemptionem

hominum, ordinaverit. De quo fufè in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 1.

32 Secundo, certum & indubitatum est apud omnes, Angelorum multitudinem, etsi maxima ac pene innumerabilis sit, non esse tamen infinitam: quod multis argumentis probat Guillelmus Parisiensis Episc. par. 2. de univerfo c. 63. & inter artic. Parisiis damnatos a Stephano Episc. recentior ille: Item quod substantia separata, sunt in actu infinita: infinitus enim non est possibilis, nisi in rebus materialibus.

33 Tertio ut certum supponimus, quod licet maxima, & stupenda sit Angelorum multitudo, non tamen probabilis aut credibile est, illam esse tantam, quod numerum omnium individuum hujus universi excedat, ut Lyranus & quidam alii existimant. Quis enim credit eos esse plures omnibus maris arenis, & aeris atomis, & arborum foliis, quæ fuerint, sunt, & erunt. Addamus muscas, culices, pulices, vermes, formicas, haleces, cum ceteris flaviorum, marisque piscibus; grana tritici, hordei, avenæ, milii, & aliorum leguminum, quorum innumera propemodum est multitudo. Certe licet absolute non repugnet tantam, immo & majorem dari Angelorum multitudinem; cum potentia Dei infinita sit, & nullo infinito numero exhaustiri possit, hoc tamen ordini ejus Sapientia & Providentiæ non videtur conveniens, ut infra patebit. Unde solum relictum dubium, an tanta sit Angelorum multitudo, ut saltem omnes species rerum corruptibilium, & omnia naturæ humanæ individua adæquet, vel excedat?

§. II.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

34 Dico primo, Angelorum multitudinem numerum specierum materialium excedere. Ita colligitur ex Dionysio de caelesti Hierarch. c. 14. ubi ait (referente D. Thom. hic art. 3.) Multi sunt beati exercitus supernorum mentium, infernarum & consubstantiam excoentes nostrorum materialium numerorum commensurationem. Quæ verba de excessu multitudinis Angelorum supra omnia hujus universi individua non posse intelligi, constat ex dictis in secunda supposito: Ergo Dionysius saltem inter Angelorum multitudinem, numerum specierum materialium excedere.

35 Nec valet quod ait Vasquez hic disp. 180. c. 2. Dionysium non loqui de numero, ut ita dicam, numerato, sed numerante; id est illum non velle, quod Angelorum multitudinem superet numerum specierum materialium & corruptibilium, quæ sunt res numerate, sed solum quod tanta sit, ut ad eam colligendam non satis valeant notæ numerales, seu termini, quibus ad numerandum homines uti solent.

36 Non valet inquam, hæc responsio: Quia numeri numerantes non sunt materiales, sed intelligibiles: Atque Dionysius loquitur de numeris materialibus, ut patet ex verbis allegatis: Ergo non loquitur de numeris numerantibus, sed de numeratis, seu de ipsis speciebus rerum materialium & corruptibilium, quæ sunt res numeratæ. Et ita hanc locum Dionysii intellexit D. Thomas quest. 6. de potentia art. 6. ubi ait: Substantia incorporea, ut dicit Dionysius cap. 14. caelestis Hierarchia, omnem multitudinem specierum materialium transcendunt. Et 2. contra Gent. cap. 92. ratione 5. Dionysius (inquit) 14. cap. caelestis Hierarchia docet, quod numerus substantiarum separatarum excedit omnem materialem multitudinem. Non ergo loquitur Dionysius de numero intelligendi & numerante; ut dicit Vasquez, sed de materiali & numerato, seu de ipsis rerum materialium speciebus, ut ait Sanctus Thomas.

37 Eandem veritatem demonstrat idem S. Doctor, loco proxime citato, variis rationibus, quarum elegantissima hæc est: Ordo (inquit) universi exigere videtur, ut id quod est in rebus nobilibus, excedat quantitate vel numero ignobiliora. Ignobiliora enim videntur esse propter nobilitatem: unde oportet quod nobilitas, quasi propter se existentia, multiplicetur quantum possibile est; & ideo videmus quod corpora incorruptibilia, scilicet caelestia, in tantum excedunt corporalitas, scilicet elementaria, ut hoc quasi non habeant notabilem quantitatem in comparatione ad illa. Sic autem caelestia corpora digniora sunt elementariis, & incorruptibilia corruptibilibus; ita substantia intellectuales omnibus corporibus, ut immobile & immateriale nobilitate, & materialibus: Excedunt igitur in numero intellectuales substantia separata, omnium rerum materialium multitudinem.

38 Circa quem dicendum (quo etiam utitur hic art. 3.) 35 duo esse observanda monet Ferraricus in expositione illius capituli, ubi ait: Circa excessum nobiliorum supra ignobiliora, intelligendum est primo, quod S. Thom. facit comparationem inter ea quæ seorsum pertinent ad perfectionem universi, ut dicitur de veritate quest. 5. art. 3. Hæc autem sunt quæ habent perfectionem, ut substantia intellectuales, corpora caelestia, & species rerum corruptibilium, non autem saltem specierum individua: ideo propositio S. Thom. in ipso est intelligenda: quanto enim aliquod istorum quæ perfectionem habent est nobilior, tanto excedit quantitate vel numero ignobiliora. Intellect.

Intelligendum secundo, quod nobilitas istorum dupliciter potest considerari: uno modo secundum gradus specificos tantum, ut scilicet illud dicatur nobilior, quod nobiliora differentia specifica constituitur; alio modo secundum gradus ordinis rerum in universo, qui attenditur secundum diversos modos essendi; ut scilicet dicatur perfectior in rebus, quod ad superiorem & perfectiorem ordinem in universo pertinet. Cum ergo dicitur ignobiliora in rebus oportere excedere numero vel quantitate ignobiliora, intelligendum est non de nobilioribus secundum gradum specierum tantum, sed de nobilioribus secundum ordinem & modum essendi, scilicet de iis quæ ad superiorem modum essendi pertinent. Unde tollitur instantia quæ fieri solet de auro, argento, lapidibus preciosis, balsamo, & hujusmodi; quæ quidem sunt multis aliis corporibus nobiliora, & tamen neque magnitudine, neque multitudine, alia excedunt: constat enim quod de istis non intelligitur propositio S. Thom. quia non sunt superiori ordinis in universo, quoniam alia corruptibilia, cum & ipsa de ordine corruptibilium sint, licet sint nobiliora secundum gradum specierum.

39 Dices: Multitudo animalium, aut etiam plantarum, incomparabiliter superat multitudinem omnium hominum; & tamen homines sunt incomparabiliter perfectiores animalibus & plantis, non solum quod gradum specierum, sed etiam quantum ad modum essendi: cum illi secundum animam immortales sint & incorruptibiles: Ergo non est verum, quod Deus ea quæ sunt perfectiora, quantum ad gradum, seu quæ superiori & perfectiorem ordinem in universo obtinent, in majori multitudine creaverit, quam minus perfectis, seu ad inferiorem gradum pertinentia.

40 Huic instantia patet responso ex jam dictis: Nam distinguendum est Antecedens, & concedendum de multitudine numerica animalium & plantarum; negandum vero de multitudine specifica: anime enim rationales, quæ sunt vel erant, in multitudine excedunt species omnium animalium & plantarum, licet eorum individua non superent: ratio autem D. Thom. (ut ex Ferraricus annotavimus) procedit de excessu multitudinis substantiarum intellectualium supra species, non vero supra individua rerum materialium & corruptibilium, ut aperte declarat S. Doctor in eodem capite ratione 4. his verbis: Non videtur igitur esse minoris multitudinis forma quæ sunt extra materiam, quas dicimus substantias separatas, quam sint species materialium rerum.

41 Aliam hujus egregiam multiplicationis seu excessus ibidem proponit rationem, petitam ex eo quod genus intelligibile in se natura videtur magis multiplicabile, quam corporea: siquidem numeri, dimensiones, figura proportionum, corporum raritas, motuum velocitates, in ipsis corporibus semper terminata sunt, in mente autem nullos certos fines habent, sed in immensum propenduntur.

42 Præterea demonstrari potest conclusio ex doctrina quam tradit infra quest. 113. artic. 2. ubi docet cuilibet rerum materialium generi, & cuilibet ipsarum speciei, immo & cuilibet individuo natura humane, ratione perpetuitatis quæ gaudet, proprium & determinatum Angelum in eundem assignari: ex hoc enim evidenter sequitur, Angelos multitudinem specierum rerum materialium & corruptibilium incomparabiliter excedere.

43 Dico secundo, probabile videri, Angelos esse multo plures quam homines. Probatur: quia juxta communem sententiam Patrum & Theologorum, ex una tantum Hierarchia designantur custodes hominum, & quilibet hominum, suum proprium habet custodem, qui alterius hominis cultus nec erit, nec fuit: Ergo hæc sola Hierarchia ad minus æquat numerum hominum: Ergo hi excedunt numero ab Angelis, ratione aliarum Hierarchiarum; exceptis etiam demonibus quos in numerum Angelorum computamus in presenti.

44 Confirmatur ex revelatione S. Brigittæ, cui a B. Virgine dicitur significatum, pro quolibet homine plusquam decem Angelos reperiri: ut refert Dionysius Carthusianus in c. 14. Dionysii Areopagitæ, de caelesti Hierarchia.

ARTICULUS III.

An sint, vel esse possint plures Angeli in eadem specie?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententia.

45 Suppono tanquam certum, contra quosdam antiquos Theologos, in natura Angelica posse reperiri, & de facto dari diversitatem specierum, & per consequens omnes Angelos solo numero non esse diversos.

46 Prima pars hujus propositionis videtur omnino certa: Deus enim est infinitus in ratione substantie spiritualis, quemadmodum in omni alia perfectione: Ergo in tali ratione est infinita varietate participabilis, & imitabilis; & per consequens ab aliqua specie creata intellectualis substantie exhaustiri seu adequate participari nequit.

Thom. Genes. Tom. II.

Confirmatur: Incredible est in gradu vegetandi tot reperiri arbores & plantas, inter se specie diversitas, totque genera animalium in gradu sentiendi, & in gradu omnium supremo ac nobilissimo, nempe intellectualli, nullam dari posse diversitatem specierum. Ex quo probata manet secunda pars: si enim diversitas specifica Angelorum possibilis sit; cum illi ad universi pulchritudinem multum conducat, credibile non est, Deum qui tanta varietate specierum materialium mundum corporeum exornavit, unicum tantum Angelorum speciem in mundo spirituali & intellectualli voluisse producere.

47 Adde quod Angeli receperunt gratiam, juxta capacitatem naturalium: Ergo cum tanta sit in illis diversitas in gratia, & in officiis, negari non potest, aliquos saltem esse specie seu natura diversos. Unde solum dubitari potest, an tanta sit inter Angelos naturæ diversitas, ut nulli dentur, immo nec dari possint, solo numero intra eandem speciem differentes.

48 In cujus dubii resolutione duplex est celebris sententia. Prima asserit inter Angelos creatos reperiri multos ejusdem speciei. Ita Scotus, Suarez, Vasquez, & alii Recentiores communiter. Secunda, qua est D. Thomæ, Discipulorum ejus, Agidii Romani, Grandi, & aliorum, docet omnes Angelos ita differre specie, ut repugnet illis solo numero intra eandem speciem multiplicari.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

49 Dico ergo primo, omnes Angelos de facto distingui inter se specie.

50 Probatur primo ex Dionysio, qui 5. cap. de caelesti Hierarchia ait: Enuncians sanctiorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se distinctas differentes: Atque (sublimo) differentia gradualis ad minus significat diversitatem specierum: plura enim individua solo numero differentia, non differunt inter se diversis gradibus, seu graduum celsitudine: Ergo ex Dionysio omnes Angeli de facto inter se specie distinguuntur.

51 Id etiam suaderi potest variis rationibus, adductis a 44 D. Thom. 2. contra Gent. cap. 93. Prima est: Quæcumque sunt idem specie, differentia autem numero, habent materiam: differentia enim quæ ex forma procedit, inducit diversitatem secundum numerum. Substantia autem separata non habent omnino materiam, neque quæ sit pars earum, neque cui uniantur ut forma: impossibile est igitur quod sint plures unius speciei. Hæc ratio magis urgebitur conclusione sequenti, ubi ostendemus diversitatem numericam in substantiis non posse aliunde haberi, quam ex materia, vel ex ordine ad illam; & per consequens implicare contradictionem, quod substantia omnino a materia separate, & nullum ad eam ordinem dicentes, solo numero intra eandem speciem multiplicentur.

52 Secunda ratio D. Thomæ sic procedit: Ad hoc sunt plura individua in una specie in rebus corruptibilibus, ut natura speciei, quæ non potest perpetuo conservari in uno individuo, conservetur in pluribus; unde etiam in corporibus incorruptibilibus non est nisi unum individuum in una specie: substantia autem separata natura potest conservari in uno individuo, eo quod sunt incorruptibiles, ut supra ostensum est: Non igitur oportet in illis substantiis esse plura individua ejusdem speciei.

53 Dices: Anima rationalis est incorruptibilis, & tamen multiplicatur numero intra eandem speciem, cum omnes anime rationales sint ejusdem speciei anime: Ergo eo quod Angeli sint incorruptibiles, non recte inferuntur eos non multiplicari intra eandem speciem.

54 Sed contra: Licet anima rationalis sit in se incorruptibilis, hoc ipso tamen quod est forma corporis, subinde quid in se incompletum, debet ad multiplicationem ipsius corporis numerice multiplicari. Angelus autem non est forma corporis, sed per se subsistens & completa: unde cum Deus nihil faciat frustra, & ad conservationem naturæ incorruptibilis non sit necessaria individuationum pluralitas, recte inferunt S. Thomas non oportere in substantiis separatis esse plura individua ejusdem speciei.

55 Dices rursus: Multiplicitatem individuum intra eandem speciem non solum requiri ad conservationem speciei, sed etiam ad perfectionem & pulchritudinem universi, quæ consistit non solum in specierum varietate, sed etiam in aliqua individuum ejusdem speciei similitudine.

56 Sed hanc responsionem ibidem impugnat Sanctus Doctor num. 4. subdens: Ad quod est species in unoquoque, dignus est eo quod est individuationis principium, præter rationem speciei existentem. Multiplicatio igitur specierum plus addit nobilitatis & perfectionis universi, quam multiplicatio individuum in una specie: perfectio autem universi maxime consistit in substantiis separatis: magis igitur competit ad perfectionem universi, quod sint plures secundum speciem diverse, quam quod sint multa secundum numerum in eadem specie.

48. Confirmatur ex eodem Angelico Preceptore quod unica de spirit. creat. art. 8. ubi sic dicitur: *Unumquodvis est ordo partium illius, sicut ordo partium exercitus est bonum exercitus; unde Apostolus dicit ad Roman. 13. quia in Deo sunt, ordinata sunt. Ordo autem perfectus invenitur in his quae specie differunt, quam inter illa quae numero saltem distinguuntur: eo quod in omnibus individuis unius speciei non est ordo nisi secundum accidentia, conveniunt enim in natura, & differunt secundum principia individuantia, & diversa accidentia, quae per accidentia se habent ad naturam speciei; quae autem specie differunt, ordinem habent per se, & secundum essentialia principia; invenitur enim in speciebus rerum una abundantia super aliam, sicut & in speciebus numerorum, ut dicitur in 8. Metaph. Ergo tantum abest, quod perfectio universi requirit pluralitatem numericam Angelorum intra eandem speciem, quin potius bono & pluritudine universi illa repugnare videatur.*

49. Confirmatur amplius: Universum in tres praecipuas partes dividitur, in infimam scilicet, quae continet generalia & corruptibilia; mediam, continentem sphaeras caelestes; & supremam, quae Angelos complectitur: Si ergo corpora caelestia (quae sunt media universi pars) careant ordine per accidentia, & nulla in eis reperitur multitudo individua intra eandem speciem; a fortiori universi perfectio & pluritudo requirit, quod in supremam parte, nempe in natura Angelica, sit purus ordo per se, non admixtus ordini per accidentia; & per consequens sola diversitas specifica, nullaque individua pluralitas intra eandem speciem. Unde D. Thomas caput 93. citatum libri 2. contra Gentes sic concludit: *Substantia separata sunt perfectiores, quam corpora caelestia: sed in corporibus caelestibus, propter eorum perfectionem, non invenitur nisi unum individuum unius speciei; eum quia utrumqueque eorum consistit ex tota materia sua speciei; cum etiam quia in uno individuo est perfectio totius speciei, ad completandum illud in universo, ad quod sua species ordinatur; sicut praecipue patet in Sole & Luna: multi igitur magis in substantiis separatis non invenitur nisi unum individuum in una specie.*

50. Dices: Stella sunt corpora caelestia: At ille non differunt specie inter se, nec a caelo in quo existunt: Ergo falsum est id quod ait D. Thomas, quod scilicet, in corporibus caelestibus, propter eorum perfectionem, non invenitur nisi unum individuum unius speciei.

Respondet concessa Majori, negando Minorem: cum enim, juxta probabilioris sententiam, stelle non sint continua, sed tantum contigua cum caelo, specie inter se, & a caelo in quo sunt, distinguuntur: sicut omnes caeli distinguuntur specie ad invicem, ut docet D. Thomas loco citato, & in quaest. de spirit. creat. art. 8. Adde in alia etiam opinione, quae docet stellas esse non solum contiguas cum caelo in quo sunt, sed etiam continuas, & partes crafiores illius, dictum D. Thomae verificari: nam juxta hanc sententiam stelle non constituunt individuum, totaliter & adequate a caelo distinctum, sed sunt idem individuum cum caelo in quo existunt; sicut diversa partes corporis humani, unicuique cum illo individuum totale constituunt.

§. III.

Solentur Objectiones.

51. Contra istam conclusionem obijciunt in primis Adversarii quaedam SS. Patrum testimonia, quibus videntur docere Angelos esse ejusdem naturae & speciei. Athanasius enim quaest. 8. ad Antiochum docet quod eadem est essentia Angelorum, sicut una est essentia hominum. Et Anselmus lib. 2. cur Deus homo, cap. 21. Omnes Angeli (inquit) sunt unius naturae. Idem docet Basilus lib. 3. contra Eunomium.

52. Sed facile respondetur, illos SS. Patres, nomine essentiae, naturae, vel speciei, intelligere speciem subalternam, & essentiam generice communem, nempe gradum intellectualitatis complete, in quo omnes Angeli univoce conveniunt. Vel etiam dici potest cum S. Thoma quaestione citata de spirit. creat. art. 8. ad r. eos loqui de Angelis, non secundum quod considerantur in esse naturali, sed prout ordinantur ad beatitudinem: nam sic omnes Angeli sunt ejusdem rationis; quia omnes nati sunt uno modo pervenire ad beatitudinem, vel ab ea desicere, scilicet immobiliter & irreparabiliter, statimque post primam electionem. Adde haec testimonia militare contra Adversariorum sententiam, & ab illis exponi debere: licet enim illi negent omnes Angelos esse specie diversos, existimant tamen in natura Angelica dari aliquam diversitatem specificam, cum tamen SS. Patres relati dicant omnes Angelos esse unius essentiae & naturae.

53. Obijciens secundo: Omnes animae rationales sunt ejusdem speciei: Ergo & omnes Angeli. Consequentia videtur bona ex paritate rationis: sicut enim animae rationales in gradu rationalitatis, ita & omnes Angeli in gradu pure intellectualitatis conveniunt.

54. Sed nego consequentiam & paritatem: duplex enim re-

peritur ratio discriminis. Prima est, quia inter latitudinem animae rationalis non potest esse magis & minus, eo quod omnes intelligant per eandem speciem, nempe per speciem a sensibus acceptam, & aphantasmatis abstractas: At vero intra gradum naturae pure intellectualis, sunt diversi modi intelligendi per species magis aut minus universales, ut infra patebit. Secunda differentia est, quia animae rationales individuatur per ordinem ad materiam; quod non potest convenire Angelo, cum sit substantia intellectualis completa, nullum dicens ordinem ad materiam.

Obijciens tertio: Sicut interiora elementa sunt ornata plantis & animalibus, & caelum siderum stellis; ita etiam caelum Empyreum ornatum est Angelis: Sed in plantis & animalibus invenitur multa ejusdem speciei: similitur etiam videtur quod omnes stellas unius speciei, quia communicant in una forma nobilissima, quae est lux: Ergo videtur pari ratione, quod vel omnes Angeli, vel aliqui conveniant in una specie.

Respondet cum D. Thoma loco citato de spirit. creat. 56 in resp. ad 12. quod ornamenta terrae & aquae, quia corruptibilia sunt, & ad infimam universi partem pertinent, in qua reperitur ordo per accidentia, admixtus ordini per se, ideo requirunt multitudinem individuorum in eadem specie: sicut vero ornamenta caeli Empyreici, aut siderae; quia illa incorruptibilia sunt, & ad mediam & supremam universi partem, quae (ut supra ostendimus) caret ordine per accidentia, pertinent. Unde falsum est, quod omnes stellas sint ejusdem speciei, immo omnes specie inter se differunt, sicut Luna & Sol. Nec obstat quod illae in eadem lucis forma communicant: lux enim, ut ibidem ait S. Doctor, non est forma substantialis eorum, cum sit qualitas per se sensibilis; quod de nulla forma substantiali dici potest. Addit etiam non esse lucem ejusdem rationis in omnibus stellis, aut corporibus caelestibus: Quod patet (inquit) ex eo quod diversorum corporum superiorum radii diversae habent effectus.

Obijciens quarto: Inter Angelos est perfecta amicitia & societas: Sed ad perfectionem amicitiae & dilectionis, requiritur similitudo in natura, juxta illud Eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile: item perfecta societas & consortium non potest reperiri nisi inter supposita ejusdem naturae; unde D. Thomas supra quaest. 31. artic. 3. ad 1. sic ait: *Licet Angeli & animae sanctae semper sint cum Deo, tamen si non esset pluralitas personarum in Divinis, sequeretur quod Deus esset solus vel solitarius; non enim velleitur solitudo per associationem aliusque non est extranea natura: dicitur enim aliquis julus esse in herbo, quomodo sint ibi multa plantae & animalia: Ergo inter Angelos reperitur similitudo in natura vel specie, & per consequens omnes non sunt diversae speciei.*

Respondet ad perfectam amicitiam & societatem non requiri similitudinem in specie atomata, sed sufficere convenientiam in specie subalternata, seu in gradu intellectualitatis, & in modo operandi. Nam caritas, quae Deum diligimus, est vera amicitia cum Deo, & perfecta cum illo societas, juxta illud 1. Joann. 1. Societas nostra sit cum Patre, & Filio ejus Jesu Christo; & tamen Deus & creatura intellectuales distinguuntur plusquam specie, & ne quidem in genere conveniunt. Licet ergo omnes Angeli sint specie inter se diversi; quia tamen in gradu intellectualitatis, & in eodem modo operandi in ordine ad convicium politicum conveniunt, omnesque ad eandem finem beatitudinis ordinantur, perfecta amicitia, politia, ac societas inter illos reperitur; & similiter inter animas beatas & Angelos; quamvis in omnium sententia, animae rationales ab Angelis specie differant. Addit D. Thomas loco citato de spirit. creat. in solut. ad 5. *Quod cum affectio sequatur cognitionem, quanto cognitio est universalior, tanto affectio eam sequens magis respicit commune bonum; & quanto cognitio est magis particularis, tanto affectio ipsam sequens, magis respicit privatum bonum: unde & in nobis privata dilectio, ex cognitione sensuata oritur, dilectio vero communis & absoluti boni, ex cognitione intellectuali. Quia ergo Angeli quanto sunt altiores, tanto habent scientiam magis universalem, ut Dionysius dicit 12. cap. Angelica Hierarchia: ideo eorum dilectio maxime respicit commune bonum. Magis ergo diligunt se invicem, si specie differant, quod magis pertinet ad perfectionem universi, ut ostensum est, quam si in specie convenirent, quod pertinet ad bonum privatum unius speciei.*

Obijciens ultimo: Si in qualibet specie non essent plures Angeli, sequeretur quod plures Angelorum species totaliter damarentur, quod divina pietati repugnare videtur. Sed facile respondetur, quod sicut non est inconveniens, quod tota aliqua species inter beatificetur in quolibet Angelo beatitudinem obtinente: ita non debet reputari inconveniens, quod tota aliqua species damnetur; recompenfatur enim integra damnatio aliquarum specierum, integra aliarum beatificatione.

§. IV.

Secunda conclusio stabilitur.

60. Dico secundo, etiam de potentia Dei absoluta, non posse Angelos intra eandem speciem multiplicari.

Hac conclusio est expressa sententia D. Thomae hic art. 4. ubi sic dicitur: *Quidam dicunt quod omnes Angeli sunt unius speciei. Sed hoc est impossibile: ex eo quod conveniunt specie & differunt numero, conveniunt in forma: sed distinguuntur materialiter: si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, ut dicitur est supra, sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei: sicut etiam impossibile esset quod essent plures albedines separatae, aut plures humanitates, cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis. Et mira quaest. 75. art. 7. improbanda sententiam Origenis, docentis Angelos, & animas humanas, esse unius speciei, dicit formaliter: *Non potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi una unius speciei: quod autem intelligi nequit, repugnat, & non potest de absoluta Dei potentia fieri. Item in quaest. de spirit. creat. artic. 8. ait: Si Angelus est forma simplex, abstracta a materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei. Quibus verbis hanc fundamentalem nostrae conclusionis insinuat rationem. Repugnat quod forma simplex, & a materia tam actu quam aptitudine separata, seu quod nullum dicit ordinem ad materiam, solo numero multiplicetur: Sed talis est natura Angelica: Ergo repugnat illam intra eandem speciem solo numero multiplicari. Minor patet ex dictis artic. 1. Major vero, quam negat Adversarii, multipliciter ostenditur. Primo ex Aristotele 12. Metaph. cap. 8. text. 49. dicente: *Quaecumque numero sunt multa, ea materiam habent.***

Neque valet solatio Scoti, dicentis Philosophum nomine materiae non intelligere materiam primam, sed haecceitatem, seu differentiam individualement; quae quia se habet materialiter respectu essentiae, materia totius appellari potest, ad distinctionem materiae primae, quae materia partit dicitur, eo quod una cum forma totum componat. Non valet, inquam, haec responsio: Tum quia Aristoteles ibi docet primum motorem esse incorporeum & spirituale, & carere materia, ac subsidue ibi loquitur de materiae ex cuius carentia Deus redditur spiritualis & incorporeus, quaeque non est haecceitas, seu differentia individualis, sed materia prima, ut patet. Tum etiam, quia ibi Philosophus probat primum motorem esse unicuique numero, & non plures, ex eo quod caret materia: si autem nomine materiae haecceitatem, seu differentiam individualement intelligeret, nihil probaret; quia dici potest plures primos motores habere plures haecceitates, seu differentias individuales, quamvis materiae careant: Immo ejus discursus est omnino nugatorius, meraeque petitio principii: sensus enim est, ideo primum motorem esse unum & non plures, quia non habet plures haecceitates, seu differentias individuales: Sed hoc ipsum est probandum, quod de hoc est differentias, quare scilicet non sint in Deo plures differentiae individuales: Ergo peteret principium, & non probaret intentum: Ergo Philosophus ibi loquitur de materia prima, non vero de haecceitate, seu differentia individuali.

61. Secundo probatur Major exemplo quo utitur D. Thomas hic art. 4. scilicet albedinis, quae si esset ab omni subiecto, tam actu, quam aptitudine separata, repugnaret illi in plura individua dividi: Cum albedines (inquit) non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis.

62. Tertio eadem Major ratione statuetur: Illi forma repugnat dividi in plura individua, cui repugnat diversimode participari: Atqui forma irreceptibilis in materia & subiecto, repugnat diversimode participari: Ergo & in plura individua dividi. Major est certa: cum enim omnia individua unius speciei atomae conveniant in perfectione intrinseca & essentiali sua speciei, solumque differant in diversis modis substantialibus habendis eam, illi forma repugnat habere plura individua cui repugnat diversimode haberi, five participari a pluribus individuis. Minor vero probatur. Illi forma repugnat diversimode participari, cui repugnat limitato, five inadecuato modo communicari: Sed forma irreceptibilis in materia & subiecto, repugnat limitato modo communicari: Ergo & diversimode participari. Major est certa: ut enim aliqua forma diversimode participetur, necesse est quod modi, quibus participabilis est, sint finiti & limitati; alioquin non essent distincti & inaequales, subindeque falsum esset quod forma diversimode & inaequaliter participaretur. Minor vero probatur. Illi forma repugnat inadecuato & limitato modo participari, cui repugnat illud omne a quo potest provenire quod limitato modo participetur: cum enim unumquodque limitetur per suum oppositum, puta actus seu forma specifica per potentiam, five materiam, vel subiectum; ut alicui forme non repugnet inadecuato, & limitato modo partici-

pari, necesse est quod ipsi non repugnet illud unde potest provenire limitatio & inadecuato participations illius, scilicet materia aliqua five subiectum: Atqui forma irreceptibilis in materia & subiecto, repugnat illud omne a quo potest provenire quod modo limitato & inadecuato participetur, ut ex ipsis terminis constat: Ergo illi repugnat inadecuato & limitato modo participari.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Substantiae simplices, & a materia omnino separatae, sunt infinitae secundum quid, & intra propriam speciem; quia carent limitatio illius, scilicet materia, quae habet limitare formam, sicut subiectum limitat accidentia, ut docet Sanctus Thomas hic articulo 2. ad 4. his verbis: *Substantia immateriales creatae sunt finitae secundum suum esse, sed infinitae secundum quod eorum forma non sunt receptae in alio: sicut si diceremus albedinem, separatum existentem, esse infinitam secundum rationem albedinis, quia non contrahitur ad aliquod subiectum: Sed quod intra aliquam speciem est infinitum, non potest intra illam multiplicari; sicut quod infinitum simpliciter, non potest esse nisi unum, ut idem Sanctus Doctor declarat supra quaestione 11. art. 3. ubi unitatem Dei ex ejus infinitate demonstrat: Ergo forma simplex, & a materia omnino separata, solo numero multiplicari non potest.*

Confirmatur amplius: Ideo infinitum simpliciter non potest esse nisi unum, quia totam entis perfectionem continet, ut docet Divus Thomas ubi supra: Sed forma intra aliquam speciem infinita, totam illius perfectionem continet: Ergo intra illam multiplicari non potest.

Respondet Suarez lib. 1. de Angelis cap. 15. formam abstractam, & intra aliquam speciem infinitam, omnem ejus perfectionem essentialiter continere, non tamen totam ejus perfectionem entitativam; quia illa abstractio & infinitas non impediunt quod talis forma sit individua: omnis autem natura creata individua, addit aliquid secundum rationem ipsi speciei, quod non est de essentia ejus. Sed haec responsio impugnetur infra: ostendens enim singularitatem in formis seu substantiis separatis nihil superaddere speciei, eaque per eandem omnino rationem consistit in esse specifico & individuali, & per consequens omnem speciei perfectionem, tam entitativam, quam essentialiter continere.

Denique principalis Major ratione fundamentaliter probatur. Materia, vel ordo ad illam, est id a quo tanquam a prima radice unitas & distinctio numerica desumuntur: Ergo forma quae caret omni materia, & ordine ad illam, non potest solo numero multiplicari. Consequentia patet, Antecedens probatur. Unitas & distinctio numerica nequeunt a forma ut a prima radice procedere, eo quod omnis unitas aut distinctio proveniens a forma, formalis sit, & consequenter specifica ac essentialis. Distinctio etiam numerica, seu individualis, non potest fieri ab existentia; cum existentia naturam individuum supponat (natura enim communis non est immediate & per se ipsam capax existentiae) nec etiam a substantia, ob eandem rationem; unde humanitas Christi, ut individua, fuit supposita assumptioni: nec denique potest eadem distinctio numerica, cum sit intrinseca & substantialis (licet enim duo individua non distinguantur essentialiter, distinguuntur tamen intrinsece, & substantialiter) ab accidentibus provenire: Ergo solum potest a materia, vel ex ordine ad illam, ut a prima radice desumi.

Respondet Suarez, ubi supra, res carens materia distinguui numerice, per proprias entitates. Sed haec responsio frivola est: nam licet duo individua per proprias entitates numerice distinguantur, debet tamen in illis assignari principium aliquod radicale, unde distinctio illa numerica desumatur; quia quilibet gradus metaphysicus debet fundari in entitate physica, & ab illa ut tali tanquam a prima radice desumi: unde Philosophus docet in rebus corporeis genus sumi a materia, & differentiam a forma; in spiritualibus vero illud sumi a tota essentia ut determinabili; istam vero ab eadem ut determinativa, ut supra art. 1. §. ultimo ex D. Thoma declaravimus. Cum ergo in forma simplici, & a materia tam aptitudine quam actu separata, nihil possit assignari, a quo ut a prima radice distinctio numerica proveniat, sequitur illam non posse intra eandem speciem solo numero multiplicari. Dixi autem, tam aptitudine, quam actu: quia ad distinctionem numericam alicuius formae sufficit quod fit apta informare materiam; unde accidentia Eucharistica, a subiecto separata, solo numero distinguuntur a pluribus aliis, qui dicuntur habitudinem ad aliquod speciale subiectum, a quo divinitus separata sunt; Similiter animae rationalis, etiam prius natura quam infundatur corpori, & post separationem a corpore, est una numero, & ab aliis numerice distincta, propter specialem habitudinem quam dicit ad hoc numero corpus potius quam ad aliud. Ex quo soluta manent plures Adversariorum instantiae.

Ex hoc etiam patet, Deum non solum de potentia ordinaria, sed neque etiam de extraordinaria & absoluta, posse plures Angelos ejusdem speciei, & solo numero distinctos.

Etos, producere. Deficiente enim principio interno distinctionis & multiplicationis numerice, repugnat fieri distinctionem & multiplicationem numericam. Sed natura Angelica, cum caret omni materia, & ordine ad illam, caret omni principio numerice distinctionis; quia remoto omni ordine ad materiam, solum restat in Angelis forma in ratione & officio formae, hoc est in ratione specificandi & formalizandi; quae enim est minus forma, scilicet dare speciem rei: Ergo Deus, etiam de potentia extraordinaria & absoluta, nequit plures Angelos solo numero diversos producere.

68 Dices: Non repugnat adungi Angelis ab extrinseco aliquid principium, quod non sit materia, per quod fiat distinctio & multiplicatio individualis.

Sed contra: Cum differentia individualis (ut supra dicebamus) sit intrinseca & substantialis, repugnat illam provenire ab aliquo quod sit accidentale Angelo, & ab ipso separabile: Sed quidquid a Deo communicatur prae naturaliter Angelo, est accidentale, & separabile ab ipso: Ergo non potest substantia Angeli distingui aut multiplicari numerice, per aliquid illi prae naturaliter a Deo communicatum; sicut repugnat generi conaturaliter dividi, nisi per differentias conaturales & ejusdem ordinis.

Adde quod, proprium est causae intrinsecae, causare per propriam entitatem, & non per aliquid superadditum: unde communiter dicitur, quod in causis intrinsecis non datur distinctio potentiae ordinariae & extraordinariae: Sed principium individuationis habet rationem causae intrinsecae, non vero extrinsecae: Ergo solum per propriam entitatem, & non per aliquid illi adjunctum, unitatem aut distinctionem individualement causare potest.

§. V.

Principae objectiones solvuntur.

69 Contra hanc conclusionem in primis objicit Suarez loc. cit. Testimonium D. Thomae, desumptum ex opusculo 16. §. restat autem, ubi in fine solutionis prima objectionis Averrois sit: Valde videtur argumentari ad ostendendum quod Deus facere non possit quod sit multi intellectus ejusdem speciei; credentes hoc implicare contradictionem. Unde addit Suarez, opinio D. Thomae videtur fuisse, quod possunt esse plures Angeli solo numero distincti, de potentia Dei absoluta, non autem de potentia ordinaria: nam ita (inquit) visus est explicare mentem suam in dicto opusculo 16. Quare ibidem num. 5. haec verba, quasi essent Sancti Doctoris, italico charactere conscripta, refert: Licet substantia separata non habeat in sua natura causam distinctionis, nec naturalem causam multiplicationis, possunt tamen fieri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esse implicatio contradictionis: haec Suarez. Ubi sinceritatem & fidelitatem, nedum in sententia, sed etiam in verbis D. Thomae referendos, maxime desidero. In primis enim saltem illa verba, quae ex ipso refert Suarez: Licet substantia separata non habeat in sua natura etc. sed solum ista: Sic ergo intellectus, si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, possent tamen fieri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esse implicatio contradictionis. Quod non tantum dicitur propter propositum, sed magis ne hoc argumentandi forma ad alia extendatur: sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere quod materia resurgat, & quod ceteri ad visum repararentur. Unde Suarez loco intellectus, posuit SUBSTANTIAS SEPARATAS; & quod D. Thomas dixit de intellectu humano, voluit ille dici de Angelis.

70 Ut ergo S. Doctoris mens clare percipiatur, sciendum est, illum ibi disputare contra Averroistas, qui ponebant intellectum humanum esse separatam & unum; & nullo modo multiplicari posse, quia in se materialis forma non est; formam autem immaterialem dicebant non posse multiplicari, etiam per ordinem ad materiam, sed hoc implicare contradictionem, quia habere materiam dicebant requiri ad multiplicationem materialem. Ad quod D. Thomas dicit, quod substantia separata sunt individua & singulares, non autem individua ex materia, sed ex hoc ipso quod non sunt nata esse in alio, & per consequens non participari a multis: Ex quo, inquit, sequitur quod si aliqua forma nata est participari ab alio, ita quod sit actus alicujus materiae, illa potest individuari & multiplicari per comparationem ad materiam. Obstat enim est autem, quod intellectus est virtus animae, quae est actus corporis; in multis igitur corporibus sunt multae animae. Haec D. Thomas. Ex quo patet intentum illius in praedicto loco esse, quod non repugnet intellectuale naturam, ex eo quod intellectualis est, multiplicari, dummodo dicat ordinem ad materiam. De Ange-

lis autem nihil ibi tractat: quia repugnantia multiplicationis eorum non oritur ex natura intellectuali, ex eo quod immaterialis & incorporea est, sed ex eo quod omnino separata & irreceptibilis sit, ita quod nec materiam includat, nec ordinem dicat ad illam, ut antea declaratum est. Quando vero S. Doctor ait: Si intellectus naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, possent tamen fieri multiplicationem ex supernaturali causa; nec esset implicatio contradictionis, etc. solum intendit reprobare illam consequentiam, & formam argumentandi: Aliquid ex natura sua repugnat alicui: Ergo etiam supernaturaliter id repugnat. Quam consequentiam merito rudem argumentationem appellat, eo quod plura sint quae naturaliter repugnant rebus, & tamen ex supernaturali & divina virtute illis convenire possunt, ut lapidi sursum ferri, caso videre, mortuis resurgere &c. ut ipse ibidem aperte declarat.

71 Obijciunt secundo aliqui, tres istos articulos: Quia intelligentia non habet materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei, Deus non potest multiplicare individua sub una specie, sine materia forma non recipiunt divisionem, nisi secundum materiam: olim fuisse scriptos, & damnatos ut erroneos ab Academia Parisiensi.

Verum haec censura imprudenter in doctrinam D. Thomae lata anno 1345. a Stephano Episcopo Parisiensi, qui erat caput Universitatis, revocata est, & S. Thomae doctrina approbata, & multis encomiis celebrata, ut videtur potest apud Bergonem, in tabula aurea. Idem fecere plures summi Pontifices, quos initio primi Tomi retulimus. Adde quod liber praedictam Academiae Parisiensis censuram continens, proscriptus est, & librorum prohibitorum catalogo inscriptus.

72 Obijciunt tertio: Si Angeli non possent solo numero multiplicari, maxime quia individua sumitur a materia, vel ab ordine ad illam, tanquam a prima radice: Sed hoc fundamentum nimis probat: Ergo, &c. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Nam ex hoc principio sequitur non dari individuationem in natura Angelica, & Angelos habere unitatem specificam tantum sine numerica, eo modo quo Plato ponebat rerum ideas separatas: Sed hoc videtur ridiculum: ergo absurdum videtur dicere, individuationem fieri a materia, vel ab ordine ad illam.

73 Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem nego sequela Majoris: nam ut inquit D. Thomas quatuor unica de spirit. creaturis art. 8. ad 4. Si est forma quae est in subjecto, vel materia, individuantur per hoc quod est esse in hoc, ita forma separata individuantur, per hoc quod non est nata in aliquo esse: sicut enim esse in hoc excludit communitatem universalem quod praedicatur de multis, ita non posse esse in aliquo. Idem docet supra q. 3. art. 2. ad 3. ubi sic ait: Forma quae sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam. . . sed illa forma quae non est receptibiles in materia, sed per se subsistent, ex hoc ipso individuantur quod non potest recipi ab alio. Itaque in natura Angelica individua datur: sed unica & non multiplicata; & haec sumitur a forma, quatenus irreceptibilis est incommunicabilis alicui naturae, quod habet, quia forma completa & subsistens est. Unde licet individua cum multiplicatione naturae, exigat materiam vel ordinem ad illam, quia requirit principium fundans divisionem substantiae entitativam, seu materialem, sine divisione formali speciei; non tamen individua sine multiplicatione naturae; ut patet in Deo, qui habet individuationem & singularitatem sine ulla materia, vel ordine ad illam, & sine aliqua capacitate multiplicationis.

74 Ex hac solutione & doctrina unum intelliges, ex quo valde confirmatur nostra conclusio, nimirum in Angelis differentiam individualement non differre etiam virtualiter a differentia essentiali & specifica, sicut in hominibus & aliis rebus corporeis: quia secundum illam idem formaliter, secundum quod fundant differentiam specificam, quocumque alio praefixo, habent quod sunt formaliter individua seu singulares, & ab invicem numero distincta, puta secundum quod habent esse irreceptum in materia, ut ex D. Thomae ostendimus. Unde differentia specifica in Angelis habet duo munera inaequalia, solum ex parte nostri modi concipiendi distincta, scilicet constituere essentialiter naturam Gabrielis, verbi gratia, & reddere eam hanc numero & singularem, ac pluribus inferioribus incommunicabilem.

75 Dices: Ex hoc sequi, naturam Angelicam esse essentialiter individua & singularem. Sed hoc dicitur nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet. Minor vero probatur primo: quia si natura Angelica esset essentialiter singularis, esset actus purus, sicut Deus; ideo enim natura divina est actus purus, quia sibi formaliter identificat singularitatem: Sed repugnat naturam Angelicam esse actum purum: Ergo & essentialiter individua & singularem.

Secundo probatur eadem Minor: Si natura Angelica esset essentialiter singularis, nullo modo posset fieri universalis: Sed hoc est falsum, & contra D. Thomam, ut ostendunt

76 quae nostri Thomae in Logica: Ergo &c. Sequela probatur: Conceptus universalis speciei, debet esse praecisus a differentia individuali, nedum formaliter, sed etiam objective, praefixione perfecta: Sed si natura Angeli ex sua differentia specifica esset formaliter individua & singularis, ejus conceptus non esset perfecte praecisus a differentia individuali: sicut enim conceptus specificus includit necessario differentiam specificam, ita includeret differentiam individualement: Ergo non posset fieri universalis.

76 Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem, nego sequela: ideo enim Deus est actus purus, quia non solum singularitatem, sed etiam existentiam sibi formaliter & essentialiter identificat, atque adeo omnis potentialitatis expertus est. Natura vero Angelica ita sibi identificat singularitatem, ut ab existentia realiter distingatur, & ad illam sit in potentia, ut docet D. Thomas hic art. 2. ad 3. Unde illa est veluti media inter naturam divinam & humanam: Natura enim Divina, ratione summa puritatis & actualitatis utrumque sibi formaliter & essentialiter identificat, nempe singularitatem, & existentiam: natura humana neutrum: eo quod non solum potentialis, sed etiam materialis & corporea sit: natura vero Angelica, cum sit irreceptibilis in materia, essentialiter singularis est, ut ex D. Thomae jam vidimus; ex eo tamen quod potentialis est, non identificat sibi existentiam, sed comparat ad suam esse, sicut potentia ad actum, ut ait idem S. Doctor loco citato. Ex quo ibidem inferri quod solus Deus est actus purus.

77 Ad secundam probationem Minoris, nego etiam sequela. Nam licet Angelica natura sit ex sua ratione formalis individua & singularis, ratio tamen illa formalis habet duo munera inaequalia, distincta per nostrum modum intelligendi imperfectum, scilicet essentialiter constituere, & reddere individuum & incommunicabile inferiori. Et ex hoc provenit quod natura Angeli possit subire secundam intentionem universalis: cum enim intelligitur a nobis, non apprehenditur ut est in se; quia si sic apprehenderetur, simul intelligeretur ut species & ut individua, ac proinde ut pluribus incommunicabilis; sed apprehenditur secundum quod exercet praefixam materiam constituentem essentialiter. Cujus ratio est, quia obiectum proportionatum intellectus nostri, pro hoc statu, est quidditas sensibilis a materia praefixa, & ideo quodquid intelligit, intelligit illud per modum quidditatis sensibilis, praefixendo a singularitate, ad singularitatis exercitio. Unde quavis natura Angelica, secundum quod in se est, repugnat universalitati: et tamen secundum quod subest apprehensioni nostrae, & secundum conceptum inaequatum quem in ea dicit, non repugnat universalitati; quia praefixio secundum quod exprimit tale munus, sive praefixio ratione talis numeris, non repugnat illi dici de pluribus, si essent; quavis illi repugnet secundum quod est in seipsa, & secundum aliud munus quod dicit implicitate: quae rationem dicitur universalis, non secundum rem & rationem, quia non habet fundamentum in re, sed tantum secundum rationem, quod fundamentum eam denominandi universalem desumitur ex solo nostro modo apprehendendi.

78 Dices, Ex hoc sequi, non solum naturam Angelicam, sed etiam Divinam posse esse universalem secundum rationem, quavis ex seipsa sit formaliter singularis. Sed negatur sequela: quavis enim (ut optime notant Commentenses disp. 6. Logicae qu. 5.) hoc nomen, Deum, sit communicabile secundum rationem tantum, nequit tamen natura divina subire intentionem speciei; quia cum sit actus purus, non potest in ea esse compositio ex genere & differentia, quam tamen indispensabiliter importat substratum secunde intentioni speciei. Unde licet essentia divina a nobis in hoc statu ad modum rei immaterialis concipiatur, & consequenter per abstractionem a singularitate, aut singularitatis exercitio: ille tamen conceptus essentiae non potest denominari speciem; quia cum sit purus ab omni potentialitate, est etiam purus ab omni ratione generica.

79 Obijciunt quarto: Nulli speciei infime repugnat communicari pluribus: Ergo nec habere sub se plura inferiora solo numero distincta, subindeque poterit Deus plures Angelos numerice distinctos sub eadem specie atoma producere. Consequenter patet, probatur Antecedens. Si alicui speciei infime repugnetur communicari pluribus, haec repugnantia proveniret vel ex perfectione; vel ex imperfectione talis speciei: Non ex perfectione, quia (inquit Rada post Scotum) communicabilitas convenit naturae sive quidditati divinae, quae tamen est summa perfecta: non etiam ex imperfectione, quia pluribus communicari convenit specibus infimis substantiae corporeae, quae tamen sunt imperfectiores specibus infimis naturae Angelicae: Ergo nulli speciei infime repugnat pluribus communicari.

80 Pro solutione hujus objectionis, nota cum Cajetano opus. de ente & essentia cap. 5. qu. 9. triplicem esse speciem infimam sive quidditatis communicabilitatem. Prima est quae fit cum limitatione ipsius ad certum gradum suae

perfectionis, & dicitur communicabilitas naturae universalis respectu suorum inferiorum. Secunda est quae fit absque limitatione naturae ad certum gradum suae perfectionis, quo pacto natura sive quidditas divina dicitur communicabilis tribus personis. Tertia denique est illa quae fit per assumptionem alicujus naturae ad hypostaticam unionem; & ita natura humana dicitur communicabilis tribus personis divinis, in quantum videlicet quaelibet ex illis potest illam assumere ad unionem hypostaticam. itis positus, in forma ad argumentum respondeo, negando Antecedens, de quacumque ex illis tribus communicabilitatibus intellectum: si enim intelligatur de prima communicabilitate, falsum est, ut constat exemplo naturae divinae: si de secunda, falsum etiam, quia nulla essentia, sive quidditas, vel species infima creata, est communicabilis hoc modo: si denique antecedens intelligatur a Scoto & Rada de tertia communicabilitate, falsum est etiam, ut patet exemplo naturae humanae, quae non potest assumi a pluribus suppositis ad unionem hypostaticam. Ad probationem in contrarium, dico primam communicabilitatem repugnare cuilibet speciei infime Angelorum, propter ipsius perfectionem, secundam vero, propter ipsius imperfectionem, negativam tamen sumptam, pro carentia scilicet actus puri, qui est summa perfectio. Quoad tertiam communicabilitatem, tateor illi convenire propter limitationem, in quantum videlicet esse distinguitur ab ejus essentia; sed inde nihil contra nos: quod enim natura Angelica possit assumi a quolibet ex personis divinis ad unionem hypostaticam, subindeque hoc modo fit illis communicabilis, non concludit possibilitatem plurium Angelorum, solo numero inter se sub illa differentium.

81 Obijciunt quinto: Potest Deus, annihilato uno Angelo, ejus speciem reproducere in aliquo individuo: Sed non in eodem qui erat antea; quia idem numero Angelus annihilatus non potest reproduci, in sententia Thomistarum, aliter tamen quod si eadem numero anima non remaneret incorrupta, sed simul cum ipso corpore omnino destrueretur, non posset idem numero homo resurgere, ut expresse docet S. Thomas in 4. dist. 44. quod 1. art. 1. qu. 2. ad 3. Ergo in diverso individuo ab eo quod fuerat prius, subindeque possibilis sunt plura individua sub eadem specie ultima naturae Angelicae, saltem de potentia Dei absoluta.

82 Respondeo concedendo quod Deus, annihilato uno Angelo, possit ejus speciem reproducere in aliquo individuo, negando tamen quod illud individuum non foret illud idem quod fuisse annihilatum, sed diversum. Ad probationem in contrarium dico, quod licet non possit idem numero homo, annihilata anima rationali ipsius, resurgere; bene tamen iterum creari, sive reproduci. Ratio diffinitiva est: quia resurrectio, non vero reproductio, sive iterata creatio hominis, existentiam partis ipsius, scilicet animae rationalis, requirit.

83 Denique obijciunt Aduersarii plures instantias; ad destruendum praesuppositum fundamentum nostrae sententiae, & probandum, divisionem numericam non sumi a materia, ut a prima radice: nam duae animae rationales, inquantum distinguuntur numero, & tamen non constant materia. Item duo lumina gloriae, duae visiones beatificae, duo actus intellectus aut voluntatis Angelicae, circa eadem obiectum simili modo tendentes, duo habitus supernaturales fidei, spei, aut caritatis, numerice differunt, & tamen carent materia.

84 Sed facile respondetur, quod licet illa non constet materia, eam tamen connotant, & respiciunt; nam animae rationales dicunt ordinem ad diversa corpora quae informant; accidentia vero spiritualia, ad subjectum cui informant, quod licet immateriale sit, gerit tamen vices materiae, quatenus illa recipit & sustentat.

84 Dices cum Martiuono disp. 36. sec. 8. n. 68. Si ad distinctionem pure numeralem sufficit esse materiam improprie sumptam, id est subjectum spirituale, vel illam respicere: Angelis non deerit principium distinctionis pure numerice, quia Angelus est materia hoc sensu: in quantum est subjectum spirituale suorum actuum, & aliorum accidentium: Ergo possibiles erunt plures Angeli solo numero diversi.

Verum haec instantia & ratiocinatio frivola est: Nam quando Thomiste docent ad distinctionem numericam sufficere subjectum, loquuntur de distinctione numerica accidentium, non vero substantiarum; quae volunt individuari a materia, signata quantitate, vel ex ordine ad illam, ut antea declaravimus. Unde facile respondetur, distinguendo Antecedens: si ad distinctionem pure numerice sufficit materia improprie sumpta, id est subjectum, Angelis non deerit principium distinctionis pure numerice respectu accidentium spiritualium, quae in eorum substantia recipiantur, concedo Antecedens: respectu plurium individuum sub eadem specie infima naturae Angelicae contentorum, nego Antecedens, & Consequentiam.